

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Maria ao cum fonte primo

Ioseph  
iustus erat uerbo, iustus in facto,  
iustus in legis consummacione, iustus in  
inicio gracie.

Ideo eam dimittere uolebat quoniam  
uirtutem misterii et sacramentum  
quoddam magnificum  
in ea esse cognoscebat cui approximare  
se indignum estimabat,

exemplo Petri, Luce V.:  
Recede a me quia homo  
peccator sum.

Origenes super illud Matthei I.: Ioseph  
cum esset iustus.

*Ioseph vir eius, cum esset homo iustus — iustus autem in verbo, iustus in facto, iustus in legis consummatione, iustus in initio gratiae — iustus itaque cum fuisset et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere. noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam male diffamare, sed voluit eam occulte dimittere. occulte eam a se dimittere volebat, sicut mansuetus, sicut pius, sicut misericors. talis ergo cum esset Ioseph, cogitabat occulte eam dimittere. haec illo, inquit, cogitante. quaerendum est nobis nunc, quid cogitaverit, ut occulte eam dimitteret. haec cogitabat, ut eam dimitteret. si suspicionem in ea habebat, quomodo iustus erat? si ergo non est suspicatus vel tale aliquid cogitavit, cur eam dimittere volebat? ut inmaculatam et sanctam vellet dimittere? iniustum enim et hoc erat. sed enim simplicem sensum audi huius orationis. Ioseph iustus erat et illa virgo inmaculata erat. sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui adproximare sese indignum aestimat. ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem quaerebat se longe facere, sicut et beatus Petrus domino se humilians aiebat: »recede a me, domine, quia homo peccator sum«.*

Pseudo-Origenes, *Homeliae in Mattheum*, 1, 2 (E. Benz & E. Klostermann eds., *Origenes Werke*, vol.12, p.241, ll.10-28).